



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Dissertatio IV. De Habitu Corporum Prussicorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Zohndorff / Kannacher / Kaniz / Lehwald / Lehndorf / Milbe / Oelschniz / Oelfen / Oppen / Packmor / Preneck / Preimboc / Portugall / Rauschte / Ripp / Rauch / Rosen / Sack / Schack / Sancten / Schlubuth / Taubenheim / Trofchte / Venediger / Waldau (Valdaviorum unicus tantum adhuc superest, venerandus Senek NN. à Waldau Ordinis Joannitarum Comendator) & alii plurimi. Sed & alia adhuc supersunt Familia, quæ ex antiqua Nobilitate putantur esse oriundi, ut Kalneinii, Lesgewangii, Pertandii, Parteinii, Praxeinii, Malgedeinii, Merki, alique, de quibus in Animadvers. ad Dusburgium egimus. Exstinctæ autem jam sunt non pauca nobilissima familia, magnis antiquitatis honoribus in Prussia functæ, ut Alexwangiorum, Bayseniorum, Drahe, Roberfche / deren vom Nerecklichen Rade / Plaveniorum, aliorumque.

## DISSERTATIO IV.

De

### Habitu Corporum Prussicorum,

- (1.) De Originibus gentium an quidquam ex habitu corporum deduci queat. (2.) Prussi Veteres ceruleis fuerunt oculis, ut & Germani, Heruli. (3.) Facies Prussorum rubicunda. Corpus candidum, ut aliorum septentrionalium, nempe Gothorum, Vandalorum &c. (4.) Prussi Veteres criniti, ut Gothi, Geta. Capillus eorum non crispus sed simplex, ejus rei causa. (5.) Crines Prussorum an rufi, ut alii Septentrionales? (6.) An fuerint procero corpore? (7.) An in Prussia olim reperti gigantes? Miligedo Prussus. (8.) Que Prussorum Veterum senectus. Lithuanorum vivacitas. Lithvani pleriq; ultra centum annos vixerunt. (9.) Diversitas hodie in Prussia est maxima, ut in Germania. Causas ejus rei inquirere Physici est.

I. **I**N investigandis gentium originibus, non exiguum ex nonnullorum sententiâ suppeditat argumentum habitus corporum unius gentis cum alia quadam gente similitudo vel dissimilitudo. Sed hoc ipsum non nisi cum grano salis est accipiendum. Equidem quanquam in migrationibus

nibus in longè remotas terras susceptis hoc fortasse procedit, evincitque, si alia accedant argumenta, validius, gentem novam ex his vel illis oris accessisse: De migrationibus tamen ex eadem orbis plaga susceptis vix quidquam solidi ex habitu corporis colligi poterit. Animadvertimus enim totam aliquando orbis terrarum plagam uno gaudere corporis habitu, ut sequentia probabunt. Quod si igitur una gens sese immisceat alteri sibi vicinæ, vel etiam genti paulo remotiori, habitu corporis ab ea distingvi nequit. Et hoc est, quod de Originibus Prussicis agentes hoc argumento non sumus usi, sed peculiari Dissertatione hanc materiam nobis sumpserimus pertractandam. De primis verò temporibus, quæ CHRISTI nati tempora excedunt, nihil occurrit certi, quod de Prussis speciatim dici possit. Posterioribus etiam temporibus, quamvis Prussi ex diversis gentibus fuerint mixti, ut supra probatum dedimus, idem tamen habitus Corporum illis omnibus attribuitur, & quidem qui ipsis cum Germanis aliisque populis septentrionalibus fuit communis, quod jam probare ingredimur.

II. Multa verò quæ ad habitum corporum Prussicorum pertinent paucis verbis complexus est Adamus Bremensis in lib. de Situ Danicæ & reliqu. Septentr. Region. quando de Prussis ita scribit n. 77. *Homines cærulei, facie ruberæ, & criniti.* Eadem verba habet ex Adamo Helmoldus lib. 1. Chron. Slav. cap. 1. Primum igitur modò laudati auctores Prussos vocant homines cæruleos id quod de oculorum colore dubio procul intelligendum est. Hos Prussis adscribere videtur etiam Tacitus in lib. de morib. Germ. Postquam enim de Germanis universè dixerat cap. 4. *Habitus corporum, quanquam in tanto hominum numero idem omnibus, truces & cærulei oculi.* Deinde cap. 45. de Æsthis ita scribit: *Quibus ritus HABITUSQUE Suevorum.* Hic per habitum, ut in priore loco, non alium quam corporum habitum intelligere videtur. Similiter etiam Sidonius Apollinaris eundem oculorum colorem attribuit Germanis & Herulis, quos Prussos fuisse ex Dissert. nostris de Originib. & de Lingva, Prussorum, manifestum est. Sic enim ille de Germanis:

*Tam lumine glauco  
Albet aquosa acies.*

De Herulis etiam ad eundem ferè modum canit: Hic

*Hic glaucis Herulis genis vagatur*

*Imos Oceani colens recessus*

*Algoſo prope concolor profundo.*

Quamquam autem non cœruleos, ſed glaucos ipsis adſcribit oculos, ſufficere tamen hoc nobis poſſet, quod eundem Germanis atque Herulis attribuat colorem. Sed fortaffe per glaucum colorem hic non aliud quam cœruleus erit intelligendus. Hoc enim apud omnes Scriptores antiquos in conſeſſo eſt, Germanis olim fuiſſe cœrulos oculos. Ex multis pauca tantum dabimus. Juvenalis ſic ſcribit:

*Cœrula quis ſtupit Germani lumina?*

Auſonius de Biſſula Virgine Sveva in bello capta ſic in Eidylliis canit:

*Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret,*

*Ut facies, oculos cœrula, flava comas.*

Quin etiam de omnibus Septentrionalibus gentibus hoc ipſum aſſerit Vitruvius in Architecton. Milit. Quod ſi his habenda eſt fides, neque Pruffis cœrulei oculi erunt denegandi.

III. Deinde Pruffos olim facie rubeâ fuiſſe, perhibent Adamus & Helmoldus. Notanter autem addunt faciem Prufforum fuiſſe rubicundam, ut indicent colorem reliqui corporis fuiſſe diverſum. Quod ſi autem verum eſt, quod Plinius & Vitruvius tradunt, Septentrionales populos omnes candido eſſe corpore, etiam de Pruffis hoc erit verum Plinii *ex lib. 1. Hiſt. nat. cap. 78.* verba ſunt: *Æthiopus vicini ſideris vapore torrerit, aduſtisq; ſimiles gigni, barba & capillo vibrato, non eſt dubium. Et adverſa plaga mundi atq; glaciali candidâ cute eſſe gentes.* Vitruvius ita de iisdem populis loquitur: *Sub ſeptentrionibus nutriuntur gentes candidis coloribus.* Speciatim quoque de Germanis Julius Firmicus Maternus *lib. 1. cap. 1.* *Si luna, inquit, facit candidos, Mars rubros, Saturnus nigros; cur omnes in Æthiopia nigri, in Germania candidi, in Thracia rubri procreantur?* De Gothis, Oſtrogothis, Wiſigothis, Vandalis & Gepidis Procopius *lib. 1. Hiſt. Vandal.* ita ſcribit: *Neq; aliis ii (i. e. hi populi, quos omnes Gothicos eſſe ſtatuit) præterquam nomine differunt candidi corpore.*

IV. Ad extremum Pruffos crinitos fuiſſe perhibent Adamus & Helmoldus. Non tondebant igitur Pruffi capillum, quod itidem, Vitruvius de omnibus Septentrionalibus populis affirmat, quando ipsis *directum capillum* fuiſſe ſcribit. Gemina his habet Plinius, qui

k

lib. 1.

lib. 1. cap. 78. *promissos crines* Septentrionalibus populis tribuit. Speciatim hoc de Germanis fusè probat Hermannus Conringius in lib. de *Habitibus Corp. Germ. causis pag. 14. seqq.* De Gothis, quos etiam Prussiam habitasse dictum est, canit Claudianus:

*Cringeri sedere Patres, pellita Getarum  
Curia.*

Theodoricus quoque Gothorum Rex Gothos frequenter vocat capillatos. Vid. Cassiodor. lib. 4. Var. ep. 49. & in *Edicto cap. 195.* Similiter de Getis, quos ejusdem cum Gothis fuisse originis multi statuunt, Ovid. de *Ponto lib. 1. eleg. 9.*

*Aspicit hirsutos Cominus ursa Getas.*

Et lib. 1. *Trist. eleg. 7.* de iisdem:

*Non coma, non ullà barba refecta manu.*

Harum autem gentium capillus non fuit crispus, sed simplex, quod Plinius & Vitruvius in locis supra citatis intellexisse videntur per *directos & promissos crines.* Difertis autem id ipsum verbis exprimit Aristoteles lib. 5. de *Generat. Animal. cap. 3.* redditque ejus rei causam: *Simplici, inquit, pilo sunt, qui humore abundant. Fluit enim humor in his non stillat. Quocirca Scythæ, incolæ Ponti, & Thracæ pilo sunt promisso & simplici. Nam & ipsi humidus sunt & aer ambiens eos humidus est. Æthiopes contra, qui loca incolunt calida crispus sunt pilo: siccum est enim & cerebrum eorum & cælum ambiens.* Quandam autem in his verbis Aristoteles de Scythis tantum Ponti accolis & Thracibus loquitur, ratio tamen Physica, quam addit, generalis est, omnibusq; maris Svecici sive Baltici accolis communis.

V. Quo colore Prussorum crines fuerint tincti, non meminit Adamus, neque quenquam ex nostris Scriptoribus hoc annotasse puto. Quodsi autem Vitruvio fides est, omnes Populi Septentrionalis capillum habuere *FLAVUM.* Idem asserit Aristoteles in *Problematis Sect. ult. quæst. 2.* *Omnes, inquit, incolæ plagæ Septentrionalis rufi sunt pilo & tenui.* Non discedit ab his Plinius *loc. cit.* qui septentrionalibus in plagis gentes esse *flavis promissas crinibus.* Germanis etiam omnibus Tacitus rutilas tribuit comas *cap. 4. Conf. & in Vita Agricole cap. 11.* Posteriore hoc loco Tacitus populos quosdam *Callidoniæ* originis esse Germanicæ inter alia & hac de causa esse probat, quod rutilæ ipsis fuerint comæ. Similia occurrunt de Germanis & apud

& apud Manilium *lib. 4. Astronom. multum post medium. ubi sic Poëta:*

*Est stupefacta suos inter Germania partus.*

Et post pauca:

*Flava per ingentes surgit Germania partus.*

Lucanus insuper de Svevis ita canit;

*Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos*

*Albis,*

De Getis quoque seu Gothis scribit S. Hieronymus ad Lætam: *Getarum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.* Et sic probabilius saltem, si non exceptione majoribus probavimus argumentis, Prussos habuisse capillum promissum, simplicem & flavum, sive rutilum.

VI. Præterea fuerunt Prussi eximiâ corporis magnitudine, quod elicere mihi videor ex Hennebergeri verbis, qui de Prussis veteribus ex Simone Grunovio: *Die gar alte Preußen so vor den Cimbris in diesem Lande gewesen sind die seyn gar ein starkes / grobes / unverständiges Volk gewesen. in lib. de Vet. Pruss. fol. 5.* His tamen hoc ipsum, quod intendo, non evincerem, nisi alia superessent firmiora argumenta, cum verba Hennebergeri non de magnitudine sed robore corporis sint intelligenda. Propius ad rem facit, quod Vitruvius habet: *Sub septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus.* Non secus hic sentit Plinius, qui Septentrionalibus proceritatem corporum tribuit, idq; ob humoris alimentum. *l. 1. c. 78.* Deindè notum etiam est ex Scriptorib. antiquis, Germanos omnes fuisse proceros corpore adeò ut etiam Isidorus *lib. 9. Orig. c. 1.* hos populos esse Germanos dictos existimet, quod sint immania corpora immanesq; nationes seivissimis durata frigoribus. Æstivis autem, quos dubio procul per Cimbro intelligit Hennebergerus in verbis paulò ante citatis, Tacitus eundem corporum habitum tribuit, quem Germanis fuisse, cap. 4. asseruerat. Ibi autem: *Habitus quoq; inquit, corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.* Conf. in Agricola cap. 11. Vegetius etiam *lib. 1. de re militari cap. 1.* eadem de Germanorum proceritate scribit: *Quid, inquit, adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisse? quid adversus Germanorum proceritatem brevitatis potuisset audere?* Etiam si verò Hennebergerus

gerus per Cimbrōs propriè intellexisset eos populos, qui in Cimbrica Cherfoneſo habitantes hodiè Jutlandorum & Holfatorum nomina gerunt, idem tamen evinci poſſet. De Cimbris enim Quintilianus: *Nec minus, inquit, animorum immanitate quam corporum bellis ſuis proximi.* Hæc ille *Declamat. 3. ante med.* Ob eandem rationem Plutarchus Cimbris *μεγάλας καὶ βαρῆστας μάχαιρας*, i. e. ingentes & graves gladios, adſcribit. *in C. Mario poſt med. pag. 420.* Gothos præterea omnes *corporum mole arduâ* fuiſſe tradit Iſidorus *lib. 9. Orig. c. 1.* Ad extremum Lithvanis quoque, qui cum Pruſſis Veteribus eandem agnoſcunt originem, proceritatem corporis adſcribit Joannes Laſſicius Polonus *in lib. de Diis Samogitarum. Vid. Reſpubl. Polon. apud Elzevirios Lugduni Batavorum An. 1627. edita pag. 294.*

VII. Quanquam autem Pruſſis inſignem corporum magnitudinem fuiſſe probatu non eſt difficile, gigantea tamen ipſis proceritas nuſquam tribuitur, niſi paucos quosdam excipias Pruſſos, quos non immeritò gigantibus annumeres. Sic cum Pruſſi Culmſeam oppidum Provinciæ Culmenſis oppugnarent, congreſſi cum iis Cruciferi, vulnerarunt inter alios ex Pruſſis *unum virum longiſſimum, qui plusquam ab humero & ſurſum omnes alios in longitudine excedebat.* ut ait Petrus de Duſburg *part. 3. Chron. cap. 148.* qui conſulatur. Similiter etiam Miligedo converſus Chriſtianus, qui in arce Bartenſteinenſi Cruciferis contra Pruſſos conterraneos ſuos militabat, terrori fuit omnibus dicti caſtri obſeſſoribus, *vid. Duſburg. part. 3. c. 114. Schuz. lib. 1. fol. 35. b.* Neque illud mirum, inter pruſſos olim fuiſſe gigantes, cum & aliis Septentrionalibus illi quondam non defuerint. Præſertim autem de Gothiſ, quorum partem in pruſſiam conceſſiſſe probavimus, id ipſum probat Saxo Grammaticus *in Proem. Hiſt. Danicæ,* & Arngrinus Jonas *in Descriptione Islandiæ cap. 4.* Conf. Hermann. Conring. *de Hab. Corp. German. cauſis pag. 9. ſeqq.*

VIII. Addimus hiſ nonnulla de pruſſorum ætate, ad quot annos illi vitam ſuam producere potuerint. Quanquam enim eâ de re nihil memoratu dignum apud Scriptores pruſſicos inveniam, non defunt tamen alia, ex quibus colligere licet, pruſſorum vitam olim fuiſſe hodiernâ diuturniorem. Invenias enim adhuc in Sambia inter agricolas, inter quos adhuc priſca manet ſimplicitas ſenes grandævos plurimos, etiamſi hodiè victus ratio ſit planè mutata, ex quo

quo facile possumus assequi conjecturâ, olim in Prussia plerosque ad eam ætatem pertigisse. Innuere hæc velle videntur Prussici Scriptores, quando Waidevvutum anno ætatis centesimo decimo sexto Prussiam inter filios divisisse referunt. *vid. Matth. Strykovski Ossostevicius in Sarmatia Europæa Vid. Respubl. Polon. pag. 323.* Accedit etiam, quod Lithvanici Scriptores Lithvanos suos vulgò ad centum annos vivere scribunt, ut Joannes Lassicius *in lib. de Diis Samogit. in Descript. Reipubl. Polonica pag. 295.* Non erit à proposito nostro alienum, si lepidam aliquam Historiam de Lithvano quodam sene, quæ sub ipsum Conversionis ad fidem Christianam initium contigit, hic interferamus. Cum An. 1413. Samogitia operâ Vladislai Regis Poloniae & Vitoldi Magni Ducis Lithvaniae maximam partem jam esset conversa, explicbat Nicolaus Wenzik Ordinis Prædicatorum Sacerdos præsentibus Principibus creati orbis seriem cum grandis natu vetulus Sacerdotis sermonem interrumpens populum elatâ voce alloquitur: Mihi credite viri. Quæcunque ab hoc juvenculo homine dici audistis, ficta profectò sunt. Unde enim ille hæc nosset, cum ego tot annos & propè seculum integrum vitâ & memoriâ complexus nequaquam horum recorder? Abiisset tota concio inrisum, nisi Rex auctoritate sua Sacerdoti fidem fecisset apud populum. Perbenigne enim edentulum illum edocuit, sacros Oratores de iis loqui, quæ pluribus antè seculis contigissent. *vid. Albert. Wijuk Kojalovvicz part. 2. Hist. Lithvan. lib. 2. ad Ann. 1413. pag. 94.* Validius nostram firmat sententiam si hanc referamus ex fide Lassicii. Sic enim ille Vetulum hunc introducit loquentem: Mentitur hic homo, non admodum senex. Multi enim nostrum centesimum annum superaverunt, tamen hæc minimè recordantur. *vid. Respubl. Polon. pag. 295.*

IX. Quod si hæc, quæ hæctenus à nobis dicta sunt, cum hodierno habitu Corporum Prussicorum conferamus, maximam hic differentiam deprehendemus. Quis enim diceret hodiè Prussos omnes, aut plerosque, aut magnam eorum partem cæruleos habere oculos, crines flavos aut rufos. esse facie rubeâ, non refecare barbam, proceritate gaudere præ cæteris gentibus notabili, vivere plerosque ultra centum annos? Neque ille quidquam obtinuerit, qui obverteret, hodie hoc non esse mirum, cum tanta hic reperitur gentium Germanicarum confusio, quanta nusquam alibi reperitur, *ut ex Dissertat. de*



*Originib. Gentium Prussicarum elucet.* Non, inquam, ille quicquam contra nos obtinuerit, quia & de Germanicis olim gentibus hæc omnia, quæ de Prussis Veteribus hæc Dissertatione dicta sunt, dici poterunt, & tamen inter Germanos hodiè maxima reperitur diversitas. *Equidem, inquit Cl. Conringius, non minus nos atq. alios populos vicinos habitu multum inter nos differre arbitror; quantum sane me oculi docent. Proceri forte plures in Germania quam in Gallia, Hispania, Italia: candidi quoq. plures & rufi & χαερωι hinc quam terrarum alibi. In nonnullis tamen Germanicæ nationibus breves, nigri & crissi alios illos numero longè antecedunt. Profecto si staturam aut colorem videas, longè plurimos sub Pyreneo aut Apennino natos potius iures, quam inter Hercynios saltus aut ad Rheni atq. Albis flumina.* Hæc Conringius de Germanis suis in *lib. de Habitibus Corporum Germanicorum causis pag. 24. seq.* Eadem de Prussis hodiè dicere possumus. De causis hujus mutationis agere instituti nostri non est, cum hoc ad Physicum forum pertineat. Qui tamen ea de re erudiri vult, adeat sæpè laudati Conringii librum, in quo doctissimè hæc omnia discutit.

---

## DISSERTATIO V.

De

### Lingva Veterum Prussorum, modoq; scribendi.

- (1.) *Venedorum lingva Slavonica fuit, qua hodiè utuntur Poloni, Russi, alii. Hymnus à S. Adalberto compositus. Inscriptio templi Polonica antiqua. Usus lingvæ Slavonicæ in Prussia. Prussorum lessus.*  
 (2.) *Gothi Germanica lingva usi sunt. Lingva Britannica est Germanica. Terminatio in au Germanica est.* (3.) *Lingva Prussorum quos Ordo Teutonicus subegit. Usus ejus adhuc superiori Seculo fuit frequens, præcipuè in Sambiâ. Conciones Prussicæ in vico Schaken. Dialectus Lingvæ Prussicæ non una. Convenientia ejus lingvæ cum Lithvanicâ. Catechismus lingvâ Prussicâ conscriptus jussu Alberti Ducis Prussicæ. Ejus duæ sunt Editiones. Ipsa fidei capita Prussicâ lingvâ recensentur. Oratio Dominica lingvâ Werulorum*